14

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

MORBIS PVERPERARVM

QVAM
ANNVENTE DIVINA GRATIA
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO DVCE
ERNESTO AVGVSTO
CONSTANTINO,
DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM, ANGARIAE, WESTPHALIAE, RELIQVA.

ET PRAESIDIO

CAROLI FRIDER. KALTSCHMIED.
H. T. RECTORIS MAGNIFICI. PHILOSOPH. ET MED. DOCTORIS. ANATOMIAE CHIRVRGIAE ET BOTANICES, PROF. PVBL. ORDINARII. SERENISS. DVC. SAXO VINARIENSIS ET ISENACENSIS ET SERENISS. MARCHIONIS BRANDENBVRGICO CVLMBACENSIS CONSILIARII AVLICI, PRIORIS MEDICI ET PHYSICI, COMIT. PALATINI CAESAREI ACAD. IMP. NAT. CVRIOS. COLLEGAE.
PATRONI AC PRAECEPTORIS SVI AETERNVM DEVENERANDI

DIE III. FEBRVARII MDCCL.

PRO GRADV DOCTORIS
LEGITIME OBTINENDO
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBICIIT.

AVCTOR
IOANNES GOTTLIEB ISAAC
GOERLIZIO, LVSATVS.

IENAE





Morbi mulierum quemadmodum ſunt intricati ſatis et copioſi, ita et eorumdem natura intimior medicos plerumque latet: vel cognitio, et multo magis, certa curatio illorum eſt valde difficilis. Cuius difficultatatis Hippocrates ſequentes arguit rationes, et quidem.

1) Quoniam foeminae ſaepiſſime ſe aegrotare vel neſciant, vel naturale quid eſſe reputantes, reticeant. Quodſi enim vterus vel ouarium, vel aliae partes minus ſenſiles ſint male adfectae, tunc non niſi viribus morbi inualeccentibus, viſcido ſc. perſtagnationem acri facto, ſenſatio mali oritur et morbus pateſcit.

2) Nimia quoque verecundia, pudorque impedit feminas, quo minus vel aliis, vel medico mala ſua prius aperiant, quam ſi iam nimis inualuere, et eradicatio fuerit difficilis.

3) Reſpuunt quoque ob peculiares idioſyncraſias, medicamenta et nimis delicatulae, nauſeoſa quaeuis et ingrata reiiciunt.

4) Ob ignorantiam obſtetricum ſaepiſſime tantas concipiunt labes, vt debilitatae, prolapſae, diſruptae partes genitales, fomitem praebeant, vbi, tamquam in ſentina morborum, omne in corpore p. n. genitum colligitur. Haec dicta praecipue valent de puerpera. Quum enim in hac antea, ſucceſſu temporis, partes genitales ſint expanſae, circulus ſanguinis immutatus et craſis eiusdem ſit turbata: nunc, vna fere hora maximam iterum ſubit mutationem,



vterus depletur, oritur haemorrhagia ingens, circulus alteratur, mammae expanduntur, et quae ſunt alia. Quemadmodum itaque nulla mutatio in contrarium fieri ſine periculo poſſit, ita et talis puerpera omni ſanitatis vitaeque periculo ſtatim exponitur, ſi ea phaenomena, quae tam partum ſequuntur, quam concomitantur, non decenti ſuccedant ordine. Quum itaque thematis inauguralis loco, morbos puerperarum ſimus pertractaturi, videamus 1. quae ſunt et fiunt et ſecundum naturam fieri debent partus et puerperii tempore, et 2. Quae ſymptomata, ex laeſis illis functionibus et phaenomenis ſequuntur.

§. I.

Morbi puerperarum ſunt illi morbi, quibus puerperae, prae aliis feminis, ſunt magis obnoxiae, ex phaenomenis circa partum non rite ſuccedentibus. Hi itaque, quo magis pateant, breuibus diſſeramus de iis, quae circa partum ſecundum naturam fieri ſolent.

§. II.

Si poſt conceptionis tempus circa ſeptimanam circiter vigeſimam primam, foetus ſe mouere incipit, eiusque motus, manibus impoſitis abdomini, ſentiri poteſt, tunc in totidem ſeptimanis partus certo expectari poteſt, ita, vt in quadraginta et duabus ſeptimanis geſtationis tempus finiatur. Et quotidiana experientia conuictum eſt excluſionem foetus circa illud praeciſe tempus ſolemnem eſſe, quo alias menſes, in eadem femina, fluere ſolent. Partumque ipſum eo faciliorem et naturalem fore, quo magis tempori menſtruo adpropinquet, et huic ſe accommodet.

§. III.

Si itaque foetus, decenti tempore geſtatus, ſufficientem acquiſiuit magnitudinem, tunc nititur in reſpirationem, eius inteſtina irritantur per meconium, oriuntur dolores, muſculi abdominis ſe conſtringunt, foetus fit inqui-

etus, ſe mouet, et vario modo vterum irritat. Quum vero ex qualibet irritatione oriatur maior adfluxus humorum et ſpirituum ad locum irritatum: ita et hic adcurrunt et reſtringuntur ſpiritus et humores verſus vterum. Vaſa itaque, cauernulae et veſiculae muſculares tam ipſius vteri, quam partium vicinarum dilatantur, dilatatae ſe conſtringunt, et foetum expellere conantur. Id quo fiat eo facilius, ligatur et coarctatur abdomen faſcia quadam lata, quo conſtrictio vteri eo magis augeatur.

§. IV.

Si motus hi conſtrictorii vel ſpaſtici, dolores ad partum dicti, fuerint fixi, conſtantes, fortes ſatis et verſus vteri orificium directi, tunc aperitur orificium vteri, et ſi foetus decentem habet ſitum, prolabitur ita, vt non caput ſolummodo immineat, ſed et promineat ex orificio aperto. Accedente tunc, retento ſpiritu, depreſſione diaphragmatis verſus inferiora, et anguſtatione abdominis per conſtrictionem muſculorum abdominalium, vterus, ex omni parte preſſus, coarctatur, tunicae, foetum ambientes, chorion ſcilicet et amnion rumpuntur, effluit liquor amnii, lubricat et emollit orificium et vaginam vteri, quo extenſionem mox ſubſequentem eo melius ferre poſſint. Sequitur tunc vel ſponte, vel vltimo niſu adplicato, foetus, cuius excluſio per decentem parturientis ſitum admodum iuuatur. Interim tamen funiculus vmbilicalis adhuc cum ſecundinis connexus manet, quae quoque paullo poſt ſequuntur, dum ſcilicet placenta vterina vel ſponte per contractionem muſculi vteri a Ruyſchio inuenti, vel per lenem funiculi vmbilicalis tractionem, vel prouida obſtetricis manu, ab vtero eiusque vaſis minimis ſeparatur. Miſſam hic faciamus conſiderationem foetus, recenter in lucem editi, et videamus ſolummodo quid poſt excluſionem, tam foetus, quam ſecundinarum in puerpera fiat.

§. V.

Labore hoc abſoluto, valdopere cauendum, ne puerpera, per labores in parturiendo adhibitos, in ſudores pro-

fusa, et inferius grauiter vulnerata, ab vllo aeris frigidi accessu laedatur. Sed potius, lecto committitur, antea bene concalefacto, et quidem eo corporis situ, vt pedibus decussatis, quieta iaceat, et potu reficiente vel alio cardiaco vires maximopere debilitatae reficiantur.

§. VI.

Per hanc placentae vb vtero separationem, vasa vteri, quae antea in placentam penetrauerant, vel disrumpuntur, vel saltim aperta hiant in cauum vteri. Exstillat itaque ex hisce vasis laesis sanguis satis copiosus, facile coagulabilis et in grumos coiens. Se constringit vterus et euacuatis vasis collabitur et hoc sanguinis stillicidium, sub lochiorum nomine, continuat ad 7 vt plurimum dies, tunc vero loco sanguinis sinceri, serum fluit, in initio largiter coloratum et loturae carnis instar rubescens, successiue vero flauescit, albescit, et tandem in 7. quoque dierum spatio desinit, ita vt vniuersus lochiorum fluxus, spatio 14 dierum absoluatur.

§. VII.

Foetu in lucem edito, adparet humiditas quaedam sero lactis turbidiori similis, in mammis, expressione se manifestans, colostrum alias dictum. Quod suctione vel expressione euacuari debet, et infantibus quoque recens natis exhiberi potest, pro expurgando meconio. Si enim vterus se constringit et vasa eiusdem iterum angustantur, sanguis per vasa vterina in maiori quantitate adfluens, non potest transire pari copia in venas, sed vel per arterias epigastricas, cum vasis mammariis cohaerentes, vel per vias adhuc incognitas, regurgitat versus mammas, ita vt puerperae secundo vel tertio post partum die, sensum quendam tensiuum, a clauiculis incipientem, supra costas continuantem, et in mammarum parenchymate se dilatantem sentiant. Quodsi enim sanguis maiori nunc quantitate pressus in arterias mammarias, illas expandit, dilatat, oritur irritatio,

vnde crebrae illae horripilationes, alias horrores lactis dictae. Ex hac dilatatione et constrictione vasorum reciproca, non tantum calor et phlogoses oriuntur, sed et, si praecipue vasa mammarum fuerint duriora, et dilatationi nimis resistant, vera oritur febris, lactea dicta, quae, quamuis inter ephemeras tantum referatur, et vnius diei vel duorum spatio circumscribatur, et hoc absoluto sponte cesset, tamen, turbare et intercipere potest facillime fluxum lochiorum, vnde praesentissima saepe vitae et sanitatis discrimina oriri, practici monent.

§. VIII.

Haec itaque erunt, quae ad naturalis partus historiam referri possunt. Quodsi itaque haecce mutua actionum, ad partum pertinentium, reciprocatio perturbatur, tunc magna et periculosa oritur morborum caterua. Hic non mihi mens est, ea pertractare symptomata, quae in pariendo accedunt, vt partus difficilis, p. n. foetus situs, dolores deficientes, vel spurii, neque quae ex nimio labore parturientis oriuntur, vt, debilitates, syncopes, caecitates, etc. haec enim ad morbos potius parturientium, quam puerperarum pertinent, sed de illis solummodo, quae absoluto partu sequuntur, et puerperii tempore accedere solent.

§. IX.

Tres itaque hic morborum habemus fomites, ex quibus cetera sequuntur sympto mata, et quidem 1. illam violentam, tam ipsius vteri, quam eius vaginae dilatationem, 2 Fluxum lochiorum, quatenus vel excedit vel deficit et 3. Ingressum lactis in mammas, eiusque in illis stagnationem, indeque ortam febrem.

§. X.

Si quaedam primipara, cuius partes nondum tantam passae sunt dilatationem, vel alia teneris habitus et iuuencula, foetum gestauit nimis grandem, tunc, tempo-

re partus inſtantis, foetu exitum moliente, non oſſa ſolum innominata, peluim conſtituentia, ita a ſe inuicem ex articulatione mutua per ſynchondroſin facta, extenduntur, vt firmitate deficiente, et acetabulo dilatato propter diſceſſum horum oſſium, femoribus inſiſtere nequeant, ſed et non raro perinaeum ex tanta dilatatione ita diſrumpitur, vt per rupturam vulua et anus vniantur. In priori caſu irrorandae ſunt partes nimis expanſae et per dilatationem debilitatae, ſpiritu quodam roborante analeptico, vt ſpiritu rorismarini, ſerpilli, roſarum, matricali, etc. vel cataplasmate roborante ex cephalicis cum vino coctis. Sed relinqui quoque poteſt haec debilitas ſoli naturae, nam quieſcente corpore, oſſa ſeparata, ſponte iterum coeunt. In poſteriore vero, ſi ruptura adeſt, longe difficilior cura erit. Opus enim eſt, vt vel ſutura cruenta chirurgus tribus vel quatuor puncturis hiatum conſuat: vel ſi manus chirurgica ad haec loca non admittatur, gluten illud a Timaeo L. IV. Caſ. XIII. commendatum adplicari, et labia inuicem adduci poſſunt. Quorum conſolidatio egregie per balſamum illud vulnerarium a Magnifico et Illuſtri Domino Præſide inuentum iuuatur.

§. XI.

Interdum poſt partum nimis laborioſum labia vuluae, parteſque vicinae ad inguina vsque maximopere intumeſcunt et dolent, ſi ſcilicet fibrae, vaſaque harum partium, nimis ſunt expanſae, dilaceratae, debilitatae, vt adfluenti ſanguini, per labores ad partum nimis turgefacto, minus reſiſtere poſſint. Hoc in caſu, adplicanda ſunt diſcutientia, et emollientia v. g. Fl. Chamom. n. et R. ſamb, meliloti, verbaſc. ſem. lini, foenugr. in vino cocta, et ſub forma cataplasmatis, vel fotus, quantum fieri poteſt calide adplicata. Vel linimentum externum paregoricum, ex ℘ chamom. aneth. hyperici paratum. Vel ſolum ℘ lini cum camphora.

§. XII.

Interdum continuant vel quoque redeunt motus illi ſpaſtici et dolores circa vterum, etiam excluſo foetu. Hos adpellant dolores poſt partum, et omnes illas agnoſcunt cauſas, quae neruos iam laceſſitos et nudos iacentes tendere, irritare et vellicare poſſunt. Si v. g. aer frigidus improuide admittitur genitalibus, tunc, coagulato ſanguine, ſtagnatio, vaſorum dilatatio, preſſio et tenſio oritur neruorum adiacentium. Vel ſi placenta vi ab internis vteri parietibus eſt diuulſa, vt plures nerui, tenſi et diſrupti ſint. Vel ſi ſanguis actiuior, grumoſus remanſit in vteri cauitate et neruos vellicat. Periculi quidem nihil ſignificat, attamen, ſi irritatio fuerit magna et diutius durauerit, tunc vigiliae, febriles commotiones exinde facillime oriri poſſunt. Si itaque orti fuerint hi dolores poſt partum, ex admiſſo genitalibus frigore, tunc conueniunt, interna blanda diaphoretica, externe vero adplicenter calida, diſcutientia et carminatiua, ex ſaluia, mentha, rore marino, pulegio, ſerpillo in vino coctis et adplicatis. Si ab laeſis et diſruptis vteri fibris, proficua erunt interna emollientia, et traumatica, blandis commixta ſudoriferis. Et ſi ab acrimonia humorum, temperantia conducent et diluentia in forma emulſionum et potionum exhibita. Sin vero dolores nimis vrgeant, vt maius inde timeri poſſit periculum, concedi poteſt anodyni cuiusdam vel opii ipſius doſis exigua, cum ſufficiente vehiculo diluente exhibita.

§. XIII.

Non raro euenire ſolet, vt poſt laborioſum partum incontinentia vrinae, vitium ſordidum ſatis et propter vaginae excoriationem moleſtum remaneat. Vrethra enim carnoſa ſua inſertione vaginæ vteri cohaeret, eiusque fibras transuerſales aeque ac orbiculares eidem inſerit, quas ſphincterem dicunt veſicae. Si ita nimia, vaginae vteri praegreſſa fuerit, extenſio, vel ſi improuida obſtetricis manus vaginam debilitat vel dilacerat, tunc quoque debilitantur



et dilacerantur fibrae illae, quae sphincterem vesicae constituunt. Hic si est debilitatus, collum vesicae non constringere et fluxum vrinae contra voluntatem animae prohibere potest. Hae fibrae, si tantummodo sunt nimis debilitatae, tunc vel sponte, angustata scilicet iterum vagina, se constringunt, et morbus cessat. Vel quoque constrictio huius sphincteris adiuuari potest per fomentationes, et iniectiones in vrethram, ex consolidantibus, roborantibus et traumaticis, et successu temporis, adstringentibus, ea tamen cautione exhibitis, vt durante fluxu lochiorum penitus ab vsu adstringentium abstineatur, ne fluxus lochiorum inde vitium contrahat. Si vero fibrae sphincteris plenarie fuerint disruptae, tunc omnis, per interna, curatio erit vel incerta vel inutilis. Certissimum erit subsidium: si in instrumentis, ab Celeb. Heistero aliisque commendatis, leuamen quoddam quaeratur.

§. XIV.

Notabile vero sanitatis vitaeque detrimentum oriri potest ex fluxu lochiorum non rite succedente. Triplici vero modo hic fluxus praeter naturalis esse potest. Et quidem si vel excedit quantitatem ordinariam, quae ratione subiecti, euacuari solet, vel si deficit, id est, non accedit quantitas euacuati, ad illam euacuandi, vel si plenarie supprimitur.

§. XV.

Notabilis enim est quantitas humorum, quae durante hoc fluxu euacuatur, et non raro duas mensuras superat. Quod si itaque tanta quantitas vel ex toto, vel ex parte remanet in corpore, qualis repletio vasorum, et decubitus versus alia loca non sunt timendi. Si vero excedit ita, vt vires inde frangantur, maximum iterum imminet periculum, quoniam talis iam vires in partu amisit, et adhuc plures mutationes subire debet.

§. XVI.

§. XVI.

Fluxus itaque lochiorum nimius est: si non ille tantummodo sanguis, qui in vasis vteri se collegit, sed et ille, qui in ceteris corporis vasis adhuc circulari debet, per vasa vteri euacuatur ita, vt vires inde maximopere frangantur. Oriri vero hic fluxus ex variis causis potest et quidem

1) Si humorum nimia efferuescentia vel rarefactio per nimium et inopportunum vsum foetum pellentium est excitata, tunc enim sanguine rarefacto et impetu fluidorum aucto, fluida pressa in maiori quantitate se colligunt ad vasa vterina, quae quum sint per partum debilitata, et per placentae separationem disrupta, illum in maiori quantitate transmittunt. Id praecipue adparet in dissolutis meretricibus, quae sabinaceis vel aliis emmenagogis fortioribus sibi abortum procurando, tandem fluxu nimio lochiorum suborto, poenam luunt, et vel inflammatione suborta, vel quoque ex illa haemorrhagia, grauissimum vitae incurrunt periculum. Eam quoque ob causam denegatur puerperis, quamuis in partu sint maxime debilitatae, potus quiuis spirituosus, nisi forte sit portio minor vini cuiusdam generosi.

2) Obstetricum quoque culpa facile fieri potest, si placentam firmius vtero adhaerentem, vi, ab eodem, tractu fortiori funiculi vmbilicalis, diuellunt. Tunc enim disrumpuntur vasa quoque maiora, quae hiantia in vterum sanguinem exstillant. Cognoscitur hoc, si dolores adsunt, et sanguis euacuatus, ad cinnabarinum vergit colorem, qui arteriosum illum esse significat.

3) Augetur qoque lochiorum fluxus, si particula quaedam placentae, vtero adhaerens, in eodem remanet, vel, si mola, grumi sanguinis, vel alius adhuc foetus in eodem latet. Tunc enim contractio vteri, adeoque et collapsus et compressio vasorum apertorum impeditur, vnde aperta manent sanguis continuo effluit.



4) Naturale tamen quoque est quibusdam subiectis, quae tenerioris habitus, sanguinem habent nimis fluidum et facile rarefientem, quod si hic leuissimum saltem vitium diaetae, animi pathemata, vel mala in partu tractatio accedit, statim lochiorum fluxus nimis augetur, sed facile quoque iterum coerceri potest.

§ XVII.

Periculi sane plenus est hic adfectus, si diutius continuat, et vires puerperae, in partu iam fractas, adhuc magis debilitat. Differt tamen pro ratione causae. Quod si enim subsit plethora nimia, tunc, quamui nimius videatur, tamen non statim supprimendus, praecipue si vires adhuc subsint. Idem si a resolutione sanguinis ortus est, hac temperata, sistit. Solemne quoque esse solet in quibusdam subiectis, quod, in initio nimius videatur, sed etiam breui tempore iterum cesset. Hinc eadem et de lochiorum fluxu nimio notanda sunt, quae de omnibus valent haemorrhagiis, quod scilicet in compescendis illis cauti simus, et non prius illas sistamus, quam si vires inde in notabili prosternantur gradu.

§. XVIII.

Quod curationem eius concernit, haec diuersa est ratione causae et quidem

1) Si ab efferuescentia orta sit, conducent temperantia, salina media, praecipue nitrosa, in potiunculis vel emulsionibus exhibita, quibus refracta anodyni cuiusdam dosis admisceri potest. His si non cedit, V. S. in brachio administrari potest, quae, quamuis non in totum hunc fluxum cohibeat, tamen impetum fluidorum versus inferiora retardat. Tandem terreis ♁inis mistis, et si opus est, adstringentibus, plenarius fluxus sisti potest.
2) Si vasa vteri sunt disrupta, tunc tutius, praemissis pilulis balsamicis, Becherianis vel Stahlianis exhiberi possunt traumatica, et consolidantia, vt decoctum ex plantag. symphyto, agrimonia, prunella; vel ess. traumatica Wedelii vel balsamus quoque vulnerarius Magnifici et Illu-

ſtris Praeſidis. Horum vero vſum excipiant pilulae eiusmodi balſamicae, per 3. vel 4. dies continuatae, quo partes adhuc reſiduae euacuentur.

3) Si vero adhuc reſtat pars placentae, vel aliud corpus p. n. tunc, primis diebus, expulſio eiusdem muſculo illi, in fundo vteri repoſito, committi poteſt, ſi vero non eiiciatur, opus iterum erit manu chirurgica, quae ſeparando, eliminando et detergendo vterum ab inquinamentis, hoc opus perficit. Quid quod omnibus hiſce incommodis praeueniri poteſt, ſi experta chirurgi manus, digitis ſecundum internam vteri ſuperficiem dilatatis, tamdiu in vtero relinquatur, donec ſubſidat.

4) Si ex quarta cauſa oritur, pari ratione ac §. 18. n. 1. procedatur.

§. XIX.

Fluxus lochiorum imminutus vel deficiens, reputandus eſt ratione ſubiectorum; quaedam enim modo in maiori, modo in minori quantitate lochia fundunt. Si enim puerpera, durante partu, multum ſanguinis per nares, vel per vterum excreuit, vel ſi lactis ſecretio ſtatim ingruit, tunc pauca quoque lochia non nocent. Si vero talis excretio non adfuit, et lochiorum quantitas eſt imminuta, huicque ſequentia ſe iungunt ſymptomata: dolor ſcilicet lumborum tenſiuus, grauatiuus, pulſatorius, tumor abdominis durus, reſpiratio difficilis, anxietas praecordiorum, dolores capitis vel aliarum partium, horripilationibus et phlogoſibus coniuncti: tunc facile ſcitur, lochia eſſe ſuppreſſa.

§. XX.

Cauſa huius morbi vel in ſanguine eſſe poteſt, vel in vtero. Si enim ſanguis eſt nimis viſcidus vel per frigida vel viſcida adſumta, tunc ineptus eſt ad tranſitum per vaſa minima. Vel ſi circulus eiusdem aliorſum determinatur per adfectus animi grauiores, terrorem praecipue et iram et per febriles illas commotiones, quae febrim lacteam concomitantur. Vterus vero ipſe accuſari poteſt, ſi vaſa eiusdem, callum quendam conceperint et ſi aer frigidus

fuerit ad genitalia admiſſus, adſtringentia temere vſurpata, quae occludendo vaſa, tranſitum ſanguinis impediunt.

§. XXI.

In hoc ſtatu, ſtatim, prius, quam ſanguis acrimoniam concipiat et febriles motus intendantur, quouis modo hic lochiorum fluxus promoueatur. Domeſtica hic ſtatim ſuggerunt remedia mulierculae et in promtu habent, ſerum decoctum vel ſolum, vel cum rad. petroſelini paratum, vel vinum cum pauco croco ebullitum, vel decoctum ex Fl. chamom. rad. zedoariae cum vino praeparatum. Si vero hiſce non cedat, efficaciora in vſum vocari poſſunt remedia, et quidem praemiſſis praeparantibus, venae ſectio in pede tam deriuandi quam euacuandi ſcopo adminiſtretur, tunc quaelibet remedia, quae alias emmenagoga dicuntur in vſum vocentur, leni tamen doſi et regimine, ne acrimonia ſanguinis et eiusdem rarefactio augeatur, et inflammationi vel febri anſa ſuppeditetur atque occaſio. Vtramque ſaepiſſime hic abſolvit paginam decens pilularum Becherianarum vel Stahlianarum vſus, interpoſitis temperantibus, ne ingredientia balſamica ſanguinis augeant orgasmum.

§. XXII.

Si vero hiſce remediis vel neglectis vel incaſſum exhibitis fluxus lochiorum non reſtituitur, neque ſymptomata inde orta mitigantur: ſed dolor circa lumbos ad pubem vergens magis augetur, ſymptomata increſcunt, et febris accedit inflammatoria, tunc, certi eſſe poſſumus de inflammatione vteri. Partes enim tunc ſtagnantes acreſcunt, vaſa erodunt, fluida reſoluunt, et per ſtagnationem iterum ſubtiles redditae, reſorbentur per venas et MSeae commiſcentur. Vbi ſanguinem reſoluunt, calorem excitant, febrem acutam, omniaque illa ſymptomata, quae febribus alias cenſentur communia, ſed magis periculoſa, tam ob defectum ſpirituum per partum diſſipatorum, quam propter inſignem vteri debilitatem.

§. XXIII.

In hoc ſtatu abſtineatur ab emmenagogis vel aliis lochia augentibus, ſed potius, temperantia, cinnabarina, et diaphoretica fixa propinentur, diluentia, et mucilaginoſa, quae ſeri actiuitatem diluunt, et ⊖ia acria inuoluunt, et tandem lenia alexipharmaca, quo partes actiuiores euacuari queant. Externe abdomini adplicentur ℞ paregorica, ~s V. camphoratus et ſacculi paregorici, ex Hb. menthae chamom. c. toto, puleg. ſem. dauci, carui cumini confecti.

§. XXIV.

Hiſce remediis ſi partes actiuiores temperantur, et ſtagnantes reſoluuntur, et per congrua ſe et excretoria euacuantur, tunc vel inſenſibiliter tranſpirant, vel criſis oritur, modo per ſudores, modo per vrinam copioſam cum ſedimento, et morbus ceſſat. Vel partes ſtagnantes vaſa erodunt, ſed dilutae per ſerum blandum in pus mutatae, per vaginam euacuantur. Si vero non diluuntur per ſerum blandum, putreſcunt, et per venas reſorbtae, maſſae ſanguineae commiſtae, illam replent partibus putridis, quae, cum tamquam crudae, non poſſint tranſire per vaſa minima, ſtagnant in illis, praecipue in peripheria corporis, in vaſis ſcilicet ſubcutaneis. Oriuntur itaque exanthemata varii generis, praecipue vero purpura alba. Quae tamquam morbus peracutus, puerperas plurimas necat.

§. XXV.

Haec purpura alba, per blandiſſima diaphoretica, et temperantia in ſtatu ſeruetur temperato, et quouis modo aeris frigidioris acceſſus arceatur, ex leniſſima enim cauſa retrocedit, et vel mortem, vel grauiſſima producit ſymptomata. Sed caueatur quoque de regimine nimis calido et corpus exaeſtuante, ne MS ea nimis reſoluatur, et ſimul primarum viarum cruditates cogantur in ſanguinem.



§. XXVI

Si vero lochia plane deficiunt, tunc, quoniam ex eadem ſed longe grauiore cauſa oriuntur, ſimiles quoque edunt effectus, et eadem ratione curantur vt §. 24.

§. XXVII.

Quod denique illos puerperarum morbos concernit, qui lactis in mammas ingreſſum vel concomitantur, vel ſequuntur, hi ſunt febris lactea, dolores, inflammationes et ſuppurationes mammarum, vel complectuntur, abundantiam, defectum vel coagulationem lactis, vel partium illud conſtituentium malam proportionem.

§. XXVIII.

Si lochia poſt alterum vel tertium diem imminuuntur, inuadit vt plurimum febris lactea, quae ſequentibus ſignis ſe manifeſtat. Incipit ſcilicet cum leni horrore vel horripilationibus vagis, ſequitur tunc calor, ſitis, anxietas praecordiorum, dolor capitis, vigiliae, et dolores tendentes, circa humeros, axillas, mammas verſus vergentes.

§. XXIX.

Oritur haec febris ex reſtrictione ſanguinis verſus mammas. Quum enim illarum vaſa nondum ſatis ſint patula, vt ſanguinem eiusque chyloſam materiam recipere poſſint, oritur ſtagnatio, et ex inde conſtrictio ſpaſtica generis neruoſi et vaſculoſi, ex tali leui cauſa itaque orta haec febris, per ſe, omni periculo caret, et raro vltra 4dies durare ſolet. Verum ſtatim, ſtagnatione in mammis expedita, et ſecretione lactis chyloſi ſatis, perfecta, ceſſat. Non tamen eſt contemnenda, quia facile actus euacuatorios lochiorum turbat, dum ſanguinem aliorſum ab vtero determinat. Hinc temperantibus diluentibus et lenioribus diaphoreticis, quibus myrrhae quaedam grana, propter lochiorum fluxum adduntur, tractari poteſt.

§. XXX.

§. XXX

Hac febre ceſſante, veri lactis, ex partibus ſeroſis et oleis conſtantis ſecretio incipit. In initio enim, quum vaſa nondum ſatis erant aperta, ſeroſa tantummodo portio, ſub coloſtri nomine, prodibat. Ampliatis vero vaſis, tubulisque lacteis, penetrare poſſunt quoque partes ſolidae, ♀eae ſcilicet ſalinis mediis remixtae, quae album lactis colorem conſtituunt, quamuis non negandum, in plethoricis et lauto victu vtentibus iam vltimis geſtationis menſibus copioſum lac fluere.

§. XXXI.

Secretio lactis ratione quantitatis differt vel quantitate excedente vel deficiente. Ratione vero qualitatis, eſt vel nimis viſcidum, vel fluidum vel acidum et facile coagulabibile vel alcalicum et ad putredinem pronum.

§. XXXII.

Abundantia lactis nimia oritur vel a laxitate mammarum et amplitudine nimia vaſorum earundem, vel a copia ſucci nutribilis. Quodſi enim puerpera ſit aetate iuuenilis, temperamento, ſanguinea, habitu corporis gracilis, et vaſa habeat ampliora, talis ſi vtatur cibo et potu facile in chylum laudabilem mutabili, copioſo et viſcera, quae chylificationi inſeruiunt habeat ſana et inſigni robore praedita, quiete, aere ſano et gratis fruatur animi pathematibus, tunc, ſi mammae fuerint facile permeabilies, amplae et tubuli lactiferi extenſionem facile ferre poſſunt, ſequitur exinde neceſſario abundantia lactis, id eſt, plus lactis in mammis ſecernitur quam in lactando conſumi poteſt.

§. XXXIII.

Abundantia quidem lactis raro vitiis adnumeratur, quum tamen nonnumquam ſenſu quodam preſſorio moleſtum ſit et ſui vel expreſſionem vel exſuctionem requirat, hinc diaeta ita immutetur, vt copia nutribilis ſucci imminuatur,

dentur itaque parum nutrientia, difficulter reſolubilia vel facile perſpirabilia, potus ſit aquoſus, aliquomodo ſalinus, vel cum ſemine agni caſti coctus, vel quoque adminiſtretur VS.

§. XXXIV.

Defectus lactis eſt, ſi non tanta eiusdem infanti lactanti ſuppeditatur copia, quanta ad nutritionem eiusdem requiritur. Oritur vero hic vel ex defectu partium nutribilium, vel ex anguſtia maiori tubulorum lacteorum. Si itaque puerpera aetate ſit profectior, temperamenti pituitoſi, vaſaque habeat anguſtiora, et victu vtatur parciore, difficulter reſolubili, potu aquoſo, tenuiore, facile diſſipabili. Viſcera habeat debilia, et depreſſum habeat motum ſpiritum, facile inde defectus lactis ſequi poteſt. Quod vitiuum ſi nutrices celare cupiant, cognoſcitur, ſi vbera earum flacceſcunt, et compreſſa vel nullum vel paucum lac fundunt. Si infans crebrius ploret, paucam ſed acriorem □m mingat, et emacietur.

§. XXXV.

Duplici modo corrigitur hic defectus

1) Augendo ſuccum nutribilem, facile in lac mutabilem, vt per diaetam euchymam, copioſam, iuſcula carnium quibus rad. petroſelini eſt incocta, lac, in quo ſemen foeniculi vel aniſi ebulliuit, et fugiantur curae et ſollicitudines.

2) Imminuendo reſiſtentiam, quam ſanguini ad mammas pulſo, illae praebere poſſunt, per cataplaſmata ex emollientibus cum ſ. foenu graeci, foenic, aniſi parata, per frictiones leuiores, ad incaleſcentiam mammarum continuatas.

§. XXXVI.

Viſciditas lactis oritur, ſi plures partes terreſtres, oleoſae lacti commiſtae ſunt, contra vero ſalinae, alcalicae, et ſeroſae deficiunt, oritur itaque ſi puerpera veſcatur nimia terreſtrium, viſcidorum, durorum ciborum copia, potuque

nimis

nimis ſaturato, viſcido et deficiente. Tale lac tamquam viſcidum et crudum nutritioni corporis tenelli lactantis non quadrat, hinc potius hoc potu ſufficiente, diluto et aliquomodo ſpirituoſo ac motu ſufficiente, cibisque tenuioribus facile reſolubilibus corrigendum et fluidum conſeruandum. Si vero lac nimis fuerit fluidum, contrario modo omnia ſe habent, praecipue nimia humorum fluiditas abſorbeatur per terreſtria et abſorbentia, et euacuetur per lenia diaphoretica vel laxantia.

§. XXXVII.

Si humores corporis puerperae fuerint nimis acidi, chylificatio ſit debilis, propter viſcera huc ſeruientia debilitata, et ſimul adſumantur acida, viſcida oritur aciditas lactis, quae varia excitat incommoda. Lac enim per tale acidum ad coagulationem maxime eſt pronum, quia partes ſolidas, o°oosas ſcilicet eiusdem praecipitat, vnde varii morbi mammarum oriuntur, dolores, obſtructiones, de quibus infra pauca dicenda erunt. Quo huius aciditas itaque corrigatur, fugiantur omnia, quae humores reddere poſſunt acidos, promoueatur concoctio ciborum in ventriculo, et bilis efficacia augeatur, quo o°osa △oſis ſe perfecte miſcere poſſint. Abſorbeatur et immutetur acidum, decensque ſanguini concilietur fluiditas per alcalina, ⊖ina, et terrea, tam ſub forma alimentorum quam medicamentorum exhibita.

§. XXXVIII.

Ad acrimoniam vero lactis alcalicam inclinant puerperae hecticae, ſcorbuticae et quae vlcera patiuntur interna, augetur talis acrimonia, per alcalica vel talia adſumta, quae per ſtaſin in loco calido et humido facile putredinem concipiunt. Curatio itaque huius abſoluitur, ſi denegantur omnia ad ſtatum alcalicum vergentia, et ſi lenia ſuppeditantur acidiuſcula et media. Sed quoniam hiſce non ſtatim radix ma-



li exstirpari possit, tutius censerem si puerpera infantem ablactaret et illum nutrici committeret, ne dispositio ad eiusmodi morbos, vti saepissime fieri solet, in foetum transeat.

§. XXXIX.

Puerperae tandem varios quoque patiuntur mammarum morbos, inter quos primus est Fissurae papillarum, quae non raro, si non tempestiue emolliuntur, in vlcera satis praua transeunt. Oriuntur vero ex acrimonia lactis, illas erodentis. Si tempestiue subuenitur, ℴ℘ illiniri possunt emolliente, vt ℴ℘ cerae, latericio, ouorum, vel mucil gin : ex sem. cydoniorum et traga cantha parata. Alias quoqu e mulierculae adplicare solent folia hederae ▽stris, recentis, cum successu.

§. XL.

Si lac ex quauis caussa in mammis subsistit et effluxus eiusdem impeditur tunc se coagulat, +diditatem concipit, partes △osae adhuc fluidae absorbentur a venis, partes vero coagulatae remanent. Vnde immanes dolores et cruciatus oriuntur, quoniam +dum illud neruos vellicat, mammae tument, et hinc inde nodi duri, tactu percipi possunt. Quibus non raro inflammatio, immo febris se iungit. Quae si non discutitur, vel in pus blandum mutatur, abit facillime in scirrhum et denique si materia indurata iterum acrescit, vlceri cancroso occasionem praebet.

§. XLI.

Oriri autem haec coagulatio et stagnatio lactis solet, ex copia nimia eiusdem, si vel lac in maiori quantitate secernitur, quam ab infante exsugi potest, vel si puerperae ipsae non lactant infantes, sed hoc officium nutricibus committunt. Si in corpore praedominatur acidum et talis seruatur diaeta qna acidum ac viscidum generatur, et si puerperae curis grauioribus, moestitia, tristitia adficiuntur. In hoc statu optimum sane est, vt ablactentur infantes, quoniam ex lacte acido vel facile acescente, dispositio facillime ad rachitidem in infantes vransit. Si scilicet tale lac se co-

agitando in infantis primis viis, acorem concipit et praecipue in vasis mesaraicis stagnat, et atrophiam, indeque sequentem inaequalem corporis nutritionem s. rachitidem excitat.

§. XLII.

In curatione itaque huius morbi in initio omni studio et labore eo annitatur, quo coagulatio lactis praecaueatur, et si iam facta resoluatur, et discutiatur. Hinc emulgeatur lac quouis modo, et iteratis vicibus, interim vtatur sudoriferis et diaphoreticis, alcalico sulphureis. Externe vero, adplicentur topica, ex discutientibus parata, vt mentha. chamom. apio. petros. sem. nigell. cumin. carv. et aliis, in muria coctis, immo et sola muria et ~ V. Camph. calide adplicatis vtuntur. Si vero hisce non cedit, tunc quouis modo suppuratio est promouenda, per cataplasmata emollientia ex alth. malv. melil. verbasc. hyosc. beta, brassica sem. lini et vc. parata, vel quoque emplastra huc inseruientia. Facta sic suppuratione, statim leuamen sentiunt. Pus itaque educatur et vlcus ordinario modo consolidetur.

§. XLIII.

Si vero nec discussio nec suppuratio obtinetur, tumorque fit durus, indolens, nulla vi medicamenti mobilis, scirrhum factum esse notum est. Et si hic iterum dolere incipit, cancer adpropinquat. Cuius curationem hic adducere superuacaneum censemus, cum haec iam abunde et maxime perspice ex hausta sit a Magnifico et Illustri Domino Praeside in dissertatione de Cancro mammarum.

§. XLIV.

Quaedam adhuc de regimine puerperarum dicenda restant, quae versantur vel circa vsum rerum non naturalium decentem, vel circa adplicationem medicamentorum. Si itaque puerpera a partus squalore est repurgata, tunc statim in lectum probe concalefactum quieta reponitur, pedibus decussatim positis, quo tam fluxus lochiorum fiat



commode et successiue, quam vt omne frigus ab interioribus genitalium arceatur. Tunc si puerpera per partus labores fuerit nimis debilitata, concedi potest potiuncula cardiaca, cinnamomo praecipue acuata, vel vini cuiusdam generosi quaedam portio, cauendo tamen ab omni, quod ebullitionem excitare, et lochiorum fluxum augere nimis possit. Ceterum puerpera quouis modo tractetur tamquam grauiter vulnerata, quae simul magnam passa est haemorrhagiam, et cuius vulnus nondum est consolidatum.

§. XLV.

Requiescat itaque tranquille in lecto, quo lochia decenter fluere possint. Fascia prouide constringatur abdomen, quo expansio abdominis flatulenta praecaueatur et vteri contractio promoueatur. Solent eundem in finem singulari superstitione commendare zonas ex pelle ceruina vel humana confectas, quae tamen non alio, quam ceterae fasciae, modo agunt. Sic in lecto quieta iaceat, donec lochiorum fluxus mitior fiat, et vires restitutae sint, quod ad 10 vel 12 diem fieri solet. Caueatur interim omnis aeris frigidi accessus, neque tamen regimen sit nimis calidum, ne turgescentia oriatur, et febri et purpurae occasio praebeatur.

§. XLVI.

Victus sit in initio tenuis et eligantur alimenta facile resolubilia, et pauca, saepe tamen et repetite adsumta, ne, si ventriculus nimis repleatur, propter defectum spirituum et menstruorum, in puerpera praesentem, cruditates generentur. Sint potius iuscula ex auena, cremore hordei, gallinarum tenuiora, cerevisia tenuis cum pane cocta, ova sorbilia. Si vero fluxus lochiorum imminuitur, tunc victus concedi potest largior, dentur carnes pullorum, gallinarum, vitulina, et iuscula carnium frequenter. Potus sit in initio tenuior, tepidus, et in pauca quantitate, successu vero temporis et si puerpera ipsa lactet, magis nutriens et sufficiens. Statim quidem a partu somnus quouis modo arce-

atur, ne hæmorrhagiæ; lipothymiae et syncopes lethales accedant et quo puerpera læsiones ipsi accedentes indicare possit, successu vero temporis nihil illas magis reficere potest, quam decens ipsius vicissitudo. Sint tamen semper quaedam praesentes, quae in pulsum, faciem et respirationem respiciunt.

§. XLVII.

Quod vero remedia attinet, quae puerperae conueniunt erunt sequentia, et quidem post partum potiunculis analepticis semper admisceri possunt antispasmodica, quoniam motus spastici semper in puerpera sunt timendi. Nitrum enim cinnabari acuatum, numquam nocet, sed egregie conducit. Elapsis sic quibusdam diebus, dentur pilulae balsamicae, viscera aperientes et virtute leniente praeditae. Hae enim non cruditates tantummodo primarum viarum expurgant, aluumque laxam seruant, quae alias propter insignem musculorum abdominis debilitatem, quam per partum passae sunt, raro officii sui memor est, sed et fluxum lochiorum in statu ordinato seruant, ita vt si excedat, hisce temperetur, si deficiat iisdem excitetur et augeatur, praecipue si per dies tres circa noctem ad gr. 15. sumantur. Illorum quoque loco dari possunt alia lenia laxantia, quae tamen ita debent esse constituta, vt neque flatus, borborygmos, neque irritationes excitent. Venae sectio in plurimis puerperis minime est necessaria, et non adhibeatur, nisi lochiorum fluxu vel deficiente vel suppresso, vbi tanta quantitas merito extrahi debet, quanta ad replendam quantitatem lochialis expurgationis, requiritur. Vel si grauior quaedam inflammatio, ceteraeque res circumstantes illam requirant. Quae quidem sunt quae de morbis puerperii nobis dicenda erant.

TANTVM.



NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

DOMINO

DOCTORANDO

S. P. D.

PRAESES.

Et virtutis et eruditionis ſpeciminibus hactenus cumpluribus, nobis comprobatus cathedram quoque noſtram cum laude conſcendis, ſpecimen inaugurale, proprio marte confectum, defenſurus, de quo Tibi animitus gratulatus, animum eundem, quem per complures annos in Te experiri, mihi copia facta eſt, ſincerum, Tibi conſtantem ſpondeo, ac omni, quo par eſt, ſtudio, ad quaelibet humanitatis officia, me paratum, ſiſto. Gratulor Tibi, Tuisque vitam apud nos optime actam, multisque aegrotis olim fidei Tuae ſe commiſſuris, optimum leuamen, atque ex geſtis Tuis diuinam benedictionem certiſſime ſperandam. Vale.